Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36550
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

et ungulas ut precidas siue abicias. Require autem et huius rei testimonium quomodo ungel-
las producimus. uelut alibi legitur abicimus. Scriptum est in deutronomio. Si inquit
exieris ad bellum aduersus inimicos tuos. et uideris ibi mulierem decoram
specie. et concupieris eam. assumes eam. et rades omnem pilum capitis eius et ungulas
eius. et indues eam uestimentis lugubribus. et sedebit in domo lugens patrem
suum et matrem suam. et domum paternam suam. et post xxx dies erit tibi uxor. Sed
nec non est hoc appositum ut hec que in testimonium uocata sunt explanentur. sed propterea dixi-
mus quia et hic de ungulis mentio facta est. Veruntamen et ego frequenter
exiui ad bellum contra inimicos meos. et uidi ibi in preda mulierem decoram spe-
cie. Quecumque enim bene et rationabiliter dicta inuenimus apud inimicos nostros.
si quid apud illos sapienter et scienter dictum legimus. oportet nos mundare
id. et ab scientia que apud illos est. auferre et resecare omne quod emortuum
et inane est. hoc sunt omnes capilli capitis et ungule mulieris. ex inimicorum spo-
liis assumpte. et ita demum facere eam nobis uxorem. cum iam nichil ex illis que
pro infidelitate mortua dicuntur habuerit. nichil in corpore uel in capite ha-
beat mortuum. nichil in manibus. ut neque sensibus neque actibus inmundum aliquid
aut morticinum gerat. Nichil enim mundum habent mulieres hostium nostrorum.
quia nulla est apud illos sapientia. cui inmundicia aliqua non sit admixta. Vellet
tamen diceret michi iudeus. quomodo apud illos ista seruentur. Quid cause. quid rationis
est decaluare mulierem. et ungulas eius demi. Verbi causa si ponamus quod ita in-
uenerit eam is qui dicitur inuenisse. ut neque capillos neque ungulas habeat. quid ha-
buit quod secundum legem demere uideretur. Nos uero quibus milicia spiritalis est. et
arma non carnalia sed potentia a deo ad destruenda consilia. decora mulier
si repta fuerit apud hostes. rationabilis aliqua disciplina. hoc modo purificabi-
mus eam quo supra diximus. Oportet ergo eum qui mundus est. non solum diuidere un-
gulam. non solum presentis et futuri seculi actus et opera discernere. sed et ungulas pro-
ducere. uelut alibi legimus abicere. ut purificantes nos ab operibus mor-
tuis. permaneamus intuta. Hec quidem generaliter dicta sint de animalibus. Illa uero
que in aquis sunt. que dicuntur siquidem habent pennas et squamas munda esse. si uero non
habeant. inmunda. nec edi debere. illud in his ostendit. ut siquidem
in aquis istis. in mari uite huius atque in fluctibus seculi quasi sint positi. tamen debemus satis agere.
ut non in profundis iaceat aquarum. sicut sunt isti pisces qui dicuntur non habere pennas
neque squamas. Hec namque eorum natura prohibet. ut in imo semper et circa ipsum cenum